

ANN. XVIII - FASC. XII

MENSE DECEMBRI MCMXXXI

# ALMA ROMA



QVID QVID NON  
POSSIDET ARMIS  
RELLIGIONE  
TENET

C. DEL VECCHIO.



SINGULIS MENSIBUS EDITUR TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

*Nuperrime prodit*

IOSEPHI FORNARI opus, cui titulus:

## COMMUNIA VITAE

Phrases et formulae ad latina colloquia instituenda.

### *Editio altera locupletior.*

Venit libell. italic. 8; quibus addenda erunt libell. 0,50 in Italia; libell. 1 apud exteriores nationes, pro transmissionis expensis.

Praeterea

Apud Commentarii Administratorem venumdantur eiusdem auctoris Mile-  
siae fabulae latine scriptae scenisque accommodatae apud ephebea  
facile agendis:

### *Fridianus-Francisculi prandium.*

Singulae pretio italic. libell. 2.

Supersunt quoque, recens forte reperta, nonnulla exemplaria operis,  
cui titulus:

## PARVUM ANTIBARBARUM

Ven. lib. 8.

(*Ils vero qui extra Urbem hos libros mitti iubeant, addendum erit publici cursus  
pretium, iuxta normam libell. 0,60 pro singulis exemplaribus.*)

Pro lectoribus novisque sociis, qui **integram ALMAE ROMAE col-  
lectionem** habere cupiant ab anno MCMXIV ad expletum annum MCMXXXI,  
paucorum exemplarium quae supersunt pretium constituimus libella-  
rum 425 pro Italia; pretium duplicatum, libell. italic. scilicet 850, pro  
exteris gentibus.

Hae vero collectiones, adiecta in litteris pecunia per nummariam  
syngraphan (vulgo *chèque*) in Urbe exigendam, recto tramite requiren-  
dae sunt ab **ALMAE ROMAE** administratore (*Roma, 12, Via del  
Governo Vecchio, 96*): quod enim pretium positum est, non sinit ut  
foenus aliquod bibliopolis, vel mediatoribus quibusvis rependi possit.

Ann. XVIII

Romae, Mense Decembri MCMXXXI

Fasc. XII

# ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium subnotationis ann. MCMXXX est pro Italia libell. 15; pro Civitatibus Foederatis Americae septentrionalis et Canada doll. 3; pro ceteris nationibus summa italicis lib. 30 exaequans; ante sol-  
vendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, 12, Via del Governo  
Vecchio, 96*.

Sociis et Lectoribus Commenta-  
rii nostri humanissimis Natalicia,  
quae proxime advenient, festa, et  
novum annum, fausta et felicia ex  
animo ominamus. Quae nobis in an-  
num MCMXXXII, qui vitae nostrae  
erit duodevigesimus, proposueri-  
mus, in proximo numero aperie-  
mus; id unum hodie satis sit affir-  
mare, nos constanti alacrique vi-  
novos etiam labores aggressuros,  
bona causa et lectorum immutato  
favore confisi; a quibus novos so-  
cios, qui agmina nostra aucturi  
sint, fidenter exspectamus.

Pretium annuae subnotationis  
immutatum manebit, nempe pro  
Italia libell. 15; pro Civitatibus Ame-  
ricaee septentrionalis doll. 3; pro

ceteris nationibus summa Italicas  
libell. 30 exaequans. Quae quidem  
summa libell. 30 illis pariter sociis  
attributa est, qui in Italia subnota-  
tionem, quam iamdiu adiutricem  
appellavimus, pro sua humanitate  
sibi sint assumpturi. Quod si huius-  
modi subnotationi accedere et exteri-  
cives malint — (et o quantum nobis  
gratum acceptumque fuerit!) — du-  
plicatum mittant suae cuiusque sub-  
notationis pretium.

Omnes denique, qui nondum de  
transacto tempore rationes suas  
cum Administratore nostro exae-  
quaverint, vehementer rogamus, ne  
remoren tur hanc moram interrum-  
pere, si commentario nostro privari  
nolunt.

ALMA ROMA.

DE LATINI SERMONIS ELEGANTIA<sup>1</sup>De pronominibus  
eleganter convertendis.

§ II. — De pronominibus in alterum pronomen aut in aliud vocabulum convertendis.

I. — Auctores, de se loquentes, non raro<sup>2</sup> utuntur numero plurali. Hinc usurpant « nos » pro « ego », « noster » pro « meus », etc.; v. g.:

Vides Demosthenem multa perficere, *nos* (= me) conari (Cic.).

Imaginare quae sollicitudo *nobis*, qui metus, quibus super tanta re praesente Caesare dicendum erat (Pi., *Epist.*, II, 11).

II. — Possessivum saepe locum tenet pronominis personalis. Sic:

1<sup>o</sup>) post verbum « sum » significans possessionem, proprietatem vel officium, genitivus possidentis, quem est pronomen personale, migrat in possessivum neutrius generis quod nominativo effertur; <sup>3</sup> v. g.:

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

<sup>2</sup> Forsitan minus tamen quam lingua vernacula.

<sup>3</sup> I. In universum relatio quae exprimitur genitivo pronominum personalium fere redditur adiectivo possessivo; v. g.: — Cum magno *meo* (= *mei*) dolore, — Non sine aliquo *meo* (= *mei*) stomacho (Cic., *Ad Quint. fratr.*, III, 5-6, 2).

Attamen quae sequuntur notentur: 1<sup>o</sup>) Substantiva quibus ambigua est significatio, activeque ac passive sumi possunt, ut « caritas, amor, memoria, oblio, desiderium, cura, miseratio, fiducia » et cetera eiusdem generis,

a) si possessionem actionemque significant, possessivis adhaerescunt; v. g.: Amor *meus*, desiderium *meum*: i. e. quo amo ac desidero.

b) si passionem significant, genitivos personalium flagitant; v. g.: Amor *mei*, desiderium *mei*: i. e. quo amor ac desiderio. (Recole quae diximus de genitivo subiectivo et objectivo. Cfr. *Alma Roma*, a, 1931, p. 5, IV).

NB. — Non in omnibus tamen quibus anceps est significatio hoc observatur; v. g.: Formidinem *suam*

*Tuum* (= *tuū*) est videre quid agatur (Cic., *Pro Mur.*, 38).

Ars copias eloquentiae ponit in medio: *nostrum* (= *nostrū*) est uti eis scire (Quint.).

Non est mentiri *meum* (= *mei*) (Ter.).

2<sup>o</sup>) Post verba petendi, accipiendi et alia, possessivum pro personali non raro usurpatur; <sup>1</sup> v. g.:

Tulliola, deliciae nostrae, *tuum* (= a te) munuscum flagitat (Cic., *Attic.*, I, 8).

Facere non possum quin quotidie ad te litteras mittam, ut *tucas* (= a te) accipiam (Cic.).

III. — Dativus pronominis personalis ponitur interdum nec eleganter pro adiectivo possessivo; <sup>2</sup> v. g.:

(= sui) iniicere (Cic., *Verr.*, II, 3, 28, 68). (Cfr. *Alma Roma*, 1930, p. 148).

Sic: « crimen *meum*, vulnus *meum*, iniuria *mea* », dicitur etiam: « mihi allata ». — Item « *imago mea, tua* », non solum quae possidetur, sed etiam quae resert et repreäsentat. — Dicendum etiam « *meā, tuā, nostra, vestrā causā* ».

2<sup>o</sup>) Cum substantivis quae partem significant, genitivis primitiorum i. e. pronominum personalium uteatur; v. g.: Minimam partem *meī* habent (QUINT., VII, 2).

II. Possessiva quae sic personalibus sufficiuntur genitivum postulant; v. g.: *Med unius* opera respùblica salva est (Cic., *Pis.*, 3). — *Tuum hominis* simplicis peccatum vidimus (Cic., *Phil.*, IV, 43). — Huius rei conjecturam de *tuo ipsius* studio facilissime ceperis (Cic., *Mur.*, 4).

NB. — Cum genitivo « *omnium* » saepe legitur, non possessivum « *noster, vester* », sed personale « *nostrum, vestrum* »: v. g.: Patria est communis *omnium nostrū* (= *nostra*) pars (Cic.). — Voluntati *vestrū* (= *vestrae*) *omnium* parui (Cic., *De or.*, III, 55, 208).

1<sup>o</sup>) Cum substantivis « *epistola* », « *litterae* », usurpantur possessiva pro personalibus; v. g.: Multas *litteras tuas* (= a te) uno tempore accepi. — Nunquam *epistolam meam* (= a me) legisti nisi manu mea scriptam.

2<sup>o</sup>) Possessivis aliter suppleri potest; v. g.: Isocrates *eum* (= suum) librum, qui Panathenaicus inscribitur, quarto et nonagesimo anno scripsisse se dicit (Cic., *De Sen.*, 5, 18). (Cfr. BERGER, *Stylistique latine*, § 30).

2) Possessiva, quae in aliis linguis per emphasis

*Mihi* (= *meos*) ad pedes misera iacuit (Cic., *De Suppl.*, 45, 129).

Litterae tuae auxerunt *mihi* (= *meum*) dolorem (Cic., *Attic.*, XI, 22).

IV. — Relativum quod ponitur initio sententiae saepe locum tenet demonstrativum correlativi et coniunctionum « et, autem, sed, vero, nam ». Huiusmodi relativum copulativum vocant; <sup>1</sup> v. g.:

*Quod* (= et hoc) crimen eiusmodi est.

*Quem* (= et hunc) rerum Romanarum auctorem laudare possum religiosissimum (Cic., *Brut.*, XI, 44).

*Quod* hoc etiam mirabilius debet videri, quia... (Cic., *Or.*, I, 3).

*Quo* facile fieri ut impellantur (Corn. Nep., *Dat.*, 5).

usurpantur, apud Latinos in demonstrativum migrant; v. g.: *Hic* (= *noster*) poëta. *Hic* (= *noster*) locus.

NB. — « *Noster* », quem apponitur nomini poëtae, philosophi, scriptoris, indicat hunc poëtam, philosophum, scriptorem esse nostrae gentis, aut sectae, vel esse amicum, aut magistrum nostrum. Propterea scripsit Cicero, v. g.: Poëta ille *noster* (Cic., *Pro Rab. Post.*, 10, 28). — Carus fuit Africano *noster* Ennius (Cic., *Pro Arch.*, 9). — Polybius *noster* (Cic., *De rep.*, II, 14, 27), etc.

a) Praecedere potest praepositio; v. g.: *In quo falli* facile est (Cic., *De off.*, I, 26, 91). A quo si mercedem receperis. — *Contra quem* qui exercitum duixerit. — *Apud* quos nisi commoratus fueris.

b) Relativum ita positum admittit post se coniunctiones eas, quae post « et, autem, sed, etc. » ponit possunt; v. g.: *Quod quium* audivissem — *Quod si fecisset*. — *Quod quamvis* non ignorarem.

Ad coniunctiones « et, vero, igitur, nam, etc. », quaes post priores poni nequeunt, pariter respuit relativum copulativum. Unde dici nequit: « *Multa promisit, quae vero non praestit* ». Id enim esset: « *Et ea vero non praestit* ».

NB. — Tamen relativo copulativo postponi potest « et » significans « etiam »; v. g.: Id quoque perspicis, *quod et* [et id etiam] ostendam, quum istos produxero, ipsorum ex litteris (Cic., *Verr.*, V, 19).

c) Sic usurpantur relativa tam adverbia quam pronomina et adiectiva. Ponitur « *unde* » pro « *et inde* », « *quo* » pro « *et eo* », « *qualis* » pro « *et talis* », etc.; v. g.: Ad Amanum exercitum duxi. *Quo* ut veni, hostem recessisse cognovi (Cic., *Ad Fam.*, XV, 4).

NB. — Huiusmodi copulativis melius exprimitur nexus logicus cum sententia praecedenti.

V. — Quum duobus relativis idem est antecedens, posterius in demonstrativum plurumque convertitur, si alio casu ac prius relativum afferri debeat; <sup>1</sup> v. g.: *Saepe homines quos amamus, iisque favemus*, nobis sunt contrarii (Cic.).

*Viriathus, quem* C. Laelius fregit ferocitatemque eius repressit (Cic., *Off.*, II, 11, 40).

*Omnes* tum fere *qui* nec extra urbem vixerant, nec *eos* aliqua barbaria domestica infuscaverat (Cic., *Brut.*, 74, 258).

VI. — Indefinitum « *aliquis* », quum antecedens est relativi, migrat in pronomen « *is* »; <sup>2</sup> v. g.:

*Qui* potest temperantiam laudare *is* (= *aliquis*), *qui* summum bonum in voluptate ponat? (Cic.).

Adversas res ferre difficile esset sine *eo* (= *aliquo*), *qui* illas gravius etiam quam tu ferret (Cic., *De Am.*, VI, 22).

*Ea* (= *aliqua*), *quaes* prodissent hominum vitae, deorum in numero habita esse dixit (Cic., *De nat. deor.*, I, 41, 118).

VII. — « *Nemo* », cum nominibus personarum sexus masculini, saepe adiectivi instar usurpatur pro « *nullus* »; <sup>3</sup> v. g.:

*Nemo* fere laudis cupidus adolescens

<sup>1</sup> Nos desunt exempla in quibus etiam secundum pronomen est relativum; v. g.: Boios, *quibus* illi agros dederunt, *quosque* in parem iuris conditionem receperunt (CAES., *De Bel. Gal.*, I, 25, 5). — Evenit ut regem, *quem* vos honorifice appellassetis, *quemque* meae fidei commendassetis et *cuius* salutem magnae curae vobis esse decrecessetis, meus adventus praesentibus insidiis liberarit (Cic.).

<sup>2</sup> *« Is »* tunc saepe supprimitur, quum supprimi potest sine perspicuitatis detrimento; v. g.: (Eum) *quem* neque gloria neque pericula excitant frustra hortere (SALL.). — Habere (eum), quicum omnia audeas sic loqui ut tecum (Cic., *De Am.*, 6, 22). — Nisi haberet (eum) qui illis gauderet (Cic., *De Am.*, 6, 22).

<sup>3</sup> a) Contra, pro « *nemo* » substantive nonnunquam

non sibi ad discendum studio omni entendum putavit (Cic., *De Or.*, I, 4).

Adhuc *neminem cognovi poëtam*, qui sibi non optimus videretur (Cic., *Tusc.*, V, 22).

*Hominem neminem* (Cic., *Fam.*, XIII, 55).

VIII. — « Nihil », cum comparativo neutrius generis, ponitur interdum pro « nemo » cum genere masculino; <sup>1</sup> v. g.:

Crasso *nihil statuo fieri potuisse perfectius* (Cic., *Brut.*, 33).

Ita tibi persuades *nihil te carius mihi fuisse* (Cic.).

IX. — Pro « totus » passim usurpatur « omnis », praesertim cum substantivis abstractis et collectivis, ad indicandam quantitatem continuam nec discretam; v. g.:

*Omne (= totum) humanum genus morte damnatum est* (Sen.).

Vercingetorix consilium capit equitatum *omnem* ab se noctu dimittere (Caes.).

In *omni* vita (Cic., *De Off.*, I, 26, 90).

Sanguinem suum profundere *omnem* (Cic., *Pro Client.*, 6, 18).

X. — Pronominis imprimis relativi locum tenere potest: <sup>1</sup> adverbium; <sup>2</sup> v. g.:

ponitur « nullus »: v. g.: *Nullo* resistente (CORN. NEP., *Han.*, 5).

N.B. — Cicero, quum in ceteris casibus usurparet « nemo », in genitivo « nullius » dixit; genitivus enim nominis est rarus; v. g.: Si iniuste *neminem* laesit, *nullius* aures voluntatemque violavit; si *nemini*, ut brevissime dicam, odio nec domi nec militiae fuit (Cic., *Pro Mur.*, 40).

b) « Nullus » nunquam adiectivis aut pronominibus substantive sumptis. Sic nefas est dicere: *Nullus Romanus, nullus alius*. — Tunc pro « nullus » usurpatur « nemo »; v. g.: *Novus nemo tam clarus neque tam egregius factus erat, quin is indignus illo honore haberetur* (SALL.).

<sup>1</sup> Negatio sic magis eluet (Cfr. *Alma Roma*, 1930, p. 149).

<sup>2</sup> Haec dicendi ratio non semper elegantia censenda est.

Adsunt Athenienses *unde* humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae putantur (Cic., *Flacc.*, 26, 62).

Astapanenses locum in foro destinant, quo pretiosissima rerum suarum congerunt (Tit. Liv.).

*Istic* (= apud te) cum ignavia est scelus (Tit. Liv., I, 47, 3).

Si quis animadverterit quid sit *quare* (= propter quod) alii melius quam alii dicant (Cic.).

<sup>2</sup> coniunctio; v. g.:

Fuit quoddam tempus, *quum* in agris homines passim bestiarum more vagabantur (Cic.).

S. Leonardi in *Helvetia*.

*Ad proximum numerum*.

J. Iss.

## ARCHAEOLOGICAE NOTAE

### De conviviis funebribus.<sup>1</sup>

Convivium etiam refrigerii cogitationem revocabat; ideo vasa vitrea quae conviviis inserviebant non raro omina ita inscripta habebant in fundo, ut legi a conviviis possent quum biberent. Ibi etiam figura martyris, qui convivio honorabatur, inventur, vel Virginis Mariae, vel apostolorum Petri et Pauli, vel Patroni. Quamquam eius generis acclamations ad defunctos pertinentes non tam in cyathis convivalibus quam in sepulcris cernuntur, ibique ad convivium caeleste alludent. Sed si viventibus vasorum convivalium acclamations referuntur, ne in hoc quidem Christiani proprium induxere morem.

Sed hic querere quisquam poterit utrum inter tot conviviorum repraesentationes aliqua sit in catacumbarum pictu-

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup

ris quae convivium funebre exhibeat. Quae-  
sto longe lateque disputata est iam a Bosii temporibus: ego Wilperto assentior, qui et agapen et eucharisticam coenam in una aliave pictura dignoscere valuit. Re quidem vera, sunt convivia, in quibus convivarum numerus, vel canistrorum, vel panum ac piscium ad prodigiosas multiplicationes in Evangelii enarratas proculdubio referruntur, aut ad convivium septem discipulorum in litore Tyberiadis lacus. Haec nota aliaque indicia non pauca excludunt, quominus re simplici agape funeraria agatur. Sunt vero alia convivia, quae facile agapas aut etiam ordinaria convivia diceres, nisi indica inessent altioris conceptus; scilicet appositus est piscis, et convivae clamant: *Irene da calda; Agape misce mi*. Haec autem nomina ancillarum quae mensae potum suppeditant, certe personarum sunt inductiones dona illa significantium, quibus ad caelestem mensam discumbentes laetantur sine fine. Atqui haec, itemque prius memorata convivia, omnino differunt ab aliis convivalibus picturis, ubi, licet appositus sit piscis, non tamen desunt alii cibi; neque numerus convivarum neque cetera adiuncta permitunt ut ista cum illis prioribus conviviis confundantur.

Neque funebria convivia indigna erant, quae in sepulcris repraesentarentur, propter eorum praecipuum finem honorandi martyres, defunctis suffragandi, indigenibus, prouti vidimus, subveniendi. Patres ipsi, qui aut eiusmodi agapes detrectarunt, aut iis abolendis animum adiunxere propter earum abusus, ipsarum tamen instituto laudes tribuere. <sup>1</sup> Neque praeteribimus in libello orationum et precum collectas inveniri quae conventus praesidi recitanda essent in agape; qui praeses, iuxta Hip-

polytic canones quorum mentionem fecimus, episcopus aut presbyter esse debebat, vel etiam diaconus; quod si, deficientibus illis, laicus senior praesideret, frangere quidem panem, sed minime illum benedicere poterat.<sup>1</sup>

Ex quibus eruitur, minime repugnare quod in parietibus sepulcrorum etiam aliquando agape fuerit depicta, quum haec ex sua institutione et defunctorum suffragium, et martyrum honorem, et egenorum solatium veluti finem haberet, ac fraternali inter fideles vinculi quasi effigies ac signum foret. Quinimo id in more etiam apud Patriarchas fuit; et in capite IV libri Tobiae, hunc, in vitae extremo, filium ita legimus alloquenter: « Panem tuum, et vinum tuum super sepulturam iusti constitue, et noli ex eo manducare, et bibere cum peccatoribus ».

Ceterum non desunt picturae et inscriptions, quae defunctos exhibeant in arte, quam in vita coluerint, se exercentes. Quae quidem vitae repraesentationes multo minus quam agapes descripicio convenient, quippe quae nullum suffragandi, sublevandi honorandique cogitationem includant.

Sunt postremo depicta convivia, quae nullam prope differentiam a conviviis ethnicis funebribus prodeant; ecquid debemus iis tales significaciones adscribere, quibus nihil in re obiective respondent?

\* \*

Disputatum denique est utrum agapae et convivia funebria locum in subterraneis habuerint, an in exedris sub dio et trichilis tantum. Sane, si interdum in cryptis convivia celebrata sunt, parum laeta esse debuere. At quum martyria sive templum extrui coepita essent super martyrum sepulcra, tunc ibidem convivia parata fuisse

<sup>1</sup> Cfr. ex. gr. S. GREG. NAZIANZ., *Orat. ad Greg. Nyss.* — THEODORET., *Evang. verit.*, lib. 8. — ORIGEN., *In Job.*, lib. 3.

<sup>2</sup> Can. 178, 179, 180, 181.

<sup>3</sup> V. 18.

dicendum est. Iam enim circa medium saeculi iv aetatem Concilium Laodicense illum contra morem canone 28 praecepit: «Quod non oportet in locis dominicis, vel in ecclesiis, eas quae dicuntur agapas facere, et in domo Dei comedere et accubitus sternere». Qui abusus neque in Phrygia tantum invaluerat, neque saeculi iv est; nam Concilium Carthaginense III, can. 30, vetat ne quis, sive episcopus, sive clericus, convivia statuat in ecclesiis, nisi ad peregrinos recipiendos; et Concilium Aurelianense II (an. DXXXI), can. 12, cautum habet «ne quis in ecclesia votum suum cantando, bibendo vel lasciviendo exsolvat; quia Deus talibus votis irritatur potius quam placetur».<sup>3</sup>

Quod si Patres interrogemus, idem fas erit concludere, scilicet agapas in abusum suis dilapsas, et quidem non solum in Africa, teste Augustino, sed in Italia, et in Galliis, et ubique.<sup>4</sup> De viduis Christianis Romae haec Hieronymus profert in sua XXII epistola: «Quum ad agapan vocavent, praeco conductitur».

Ipse Augustinus de Vaticana basilica scribebat: «De basilica beati Petri apostoli quotidiana vinolentiae proferuntur exempla».<sup>5</sup>

Sed die «carae cognitionis» (22 mens. Februarii), idest die «parentalibus» maxime sacra, aegre potuit populus Christianus ab epulis celebrandis prohiberi, quae iuxta ethniam traditionem praescribebantur. Quum autem eadem illa die festum S. Petri de Cathedra occurreret, dies vocata est

«S. Petri epularum». Ad has idolatrici ritus reliquias convellendas animum adiunxerunt Patres; at in Galliis usque ad sextum occidens saeculum perduravit, illumque in Concilio Turonensi damnari necesse fuit.<sup>6</sup>

## DE SANNIONIBUS

Ciceronis iudicium, cui omnes consenserunt, de sannionibus sive scurris est, quo immo et quasi illorum hominum descriptio profertur (*Orat. 61* in fin.): «Atque hoc etiam animadvertisendum, non esse omnia ridicula faceta. Quid enim potest esse tam ridiculum quam sannio est? Sed ore, vultu, imitandis moribus, voce denique, corpore ridetur ipso. Salsum hunc possum diceré, atque ita, non ut eiusmodi oratorem esse velim, sed ut minimum». Attamen, ea diu convalluit apud ditiores principes atque humaniores cura, ut sanniones et mimos, non minus quam poetas vel suorum gestorum historicos, quos in aulam advocavissent, caros habebant: saepe immo constat tum donorum liberalitate, tum ingenii existimatione illos praedilexisse. Quamquam plerumque non ea fuerunt sua mentis testimonia ab illis prolata, quae tantam praedilectionem excusarent.

Quibus igitur ex causis tantum favorem repetamus? Ad magnificentiam ostentandam morem illum fuisse receptum et usuvenisse dicendum est, vel rudem plerumque principum mentem nonnisi ad arma deditam, poetas ceterosque litteratos viros mentita humanitatis specie patrornari, et nonnisi scurrilibus facetiis animo gaudere.

<sup>1</sup> MANSI, *Conc. ampl. coll.*, I, II, col. 570.

<sup>2</sup> MANSI, loc. cit., t. III, col. 837.

<sup>3</sup> Cfr. S. ZENO, *Tract.*, XV, 1; S. AMBROS., *De Elia et ieiunio*, c. 7; S. PAULINI NOL., *Natal.* IX, vv. 558 sqq.; S. GREGOR. NAZIANZ., *Carmina*, lib. II, sect. II, n. 25, ap. P. G., t. XXXVIII, col. 99; THEODORET., *Hist. eccl.*, lib. III, c. XXII, apud P. G., t. LXXXII, col. 1120.

<sup>4</sup> Epist. XXI ad Ulpium, § 10.

<sup>5</sup> C. XVIII, p. 87, 2.

<sup>6</sup> Cfr. DE ROSSI, *Roma sott.*, t. III, pag. 504.

Nec enim aliter facile intelligas Eduardum II, Anglorum regem, sannionis sui stipendio viginti libellas superaddere consueisse, ut continenter fere ex equo procumbens regis risum moveret. Adnotandum vero est, etsi primo fatui tantum et amentes ad eiusmodi munera vocati fuerint, progressu tamen temporis excutio rem in dies mentem et magis acutum ingenium fuisse ab illis requisitum, quo non tantum ridicula dictaria vel satyrica epigrammata optime calerent, sed interdum consilia secreto suis dominis praeberent, quibus inter domesticas vel publicas res uterentur.

Vestem, quo plerique in duebantur, nemo est qui non noverit: tunica, femoralia, penula, cucullus variis coloribus insolite distincta, et tintinnabulis undique exornata, quae ad motus hominis vel levissimos simul tinnirent; sed sceptrum quoque irisorium gestare consueverant, ridiculo quodam belluae aut pumilionis capite munitum, vilioris ipsorum munera ineptum veluti symbolum.

Erat tamen iis saepe incondita quae-dam ac facilis vis a natura tributa condendi carmina eaque canendi ad cytharae sonum; quo munere plures errantium vatum functi sunt felicissime.

Hos itaque Dionysius Syracusanus, Philippus Macedonum rex, Alexander Magnus, Augustus ceterique romani Caesares caros supra modum habuerunt; at media prae-sertim, quam dicimus, aetate, sacris bellis exactis, optimatum omnium in aulis ludentes invenimus, quod ad decimum septimum circiter saeculum servatum est; diutius vero inter Russos, ubi Petrus ille cognomine Magnus duodecim plerumque huiusmodi viros in comitatu semper aluit.

Celeberrimi in Anglia enumerantur scurrae: alter qui Wilhelnum, cui Conquimenti cognomen, sequebatur, ditissimus breviter factus: alter Owen Tudor, cui Catharina de Valois, post Henrici V obi-

tum, nupsit. Henricus VIII Will Somers dilexit, et Jacobus V Scotus Archibaldum Armstrong, qui suis dictieris plurimas in aula discordias excitavit, regemque natumque eius primogenitum in mutuas iras saepe commovit: hunc autem et Carolus I carum habuit, quamquam tandem, quod sacris irrideret, ex aula dimisit.


Germani Klauss fatuum in Friderici III Saxonis comitatu et Kunz-von-der-Rosen, qui Maximilianum sequuntur est, praecipue memorant, eorumque facete dictis adhuc delectantur.

Celebratissimus inter Gallos fuit Bois-robert, quem comicas fabulas pro Richelieu cardinali exarasse dicunt, qui gallicum academicum coetum deinde condidit; illo vero magis notus Triboulet exstitit, qui Francisci II tempore vixit, quemque Rabelais primus, deinde Victor Hugo, summus Gallorum poëta, in commenticia fabula *Le roi s'amuse* (Rex sese oblectat) aeternum reddidere. Ab eius quoque casibus Iosephus Verdi noster divinis musices numeris in opere *Rigoletto* ex omnium oculis lacrimas elicuit.

Italicos autem scurras, Francisci Sacchetti scriptoris venustissimi opera, Gonnella unus superavit, qui apud Ferrariensem ducem moratus est; sed inter eius gesta, a Sacchetti descripta, nihil magis miserandum simul ac ridiculum quam ipsa mors fuit. Dux enim morbo laborabat, ad quem unum remedium esse in balneum rigidissimum necopinato demergi medici sentiebant. At, quum nemo id principi suadere auderet, Gonnella, studio patroni commotus, quadam die in litore lacus cum illo deambulans, impulsu repente dato, ipsum in aquam deiecit. Sed optima illius mens impedire non potuit quominus exsilium statim multaretur. Ex quo ille patriae revisendae amore correptus, quum currum terra implevisset ex provincia Paduae finitima effossa, ipsi insidens Ferrariam reversus est. Nec tamen tam mire exco-

gitata subtilitas a vinculis illum servavit; quin immo capit is est damnatus. Itaque statuta die, vitta oculis imposta, patibulum concedit; at carnifex repente magnum sulum aquae plenum attollens, in damnati caput projicit. Statim populi circumstantis acclamaciones et laetitia ad caelum elata sunt; sed quum ad Gonnella expediendum manus sunt admotae, inertem hominem invenerunt, mortis terrore extinctum.

I. A.



## AGITANT SAECULA CURSUM

Aetas senescit nostra: sub aethere  
Fecunda vernant germina posteris.  
Ceu flumen effuse remugens  
Saecla agitant renovata cursum.  
Aevi vetusti frangere vincula  
Conatur aetas, quae nova dicitur,  
Aeque ut futuris parta iura,  
Facta vetustior ipsa tradat.  
Diversa pugnant: dira necessitas  
Enses suos exasperat acrius;  
Fauces avarae ditiorum  
Cuncta voraciter helluantur.  
Cum iura cuncti libera seligant,  
Immitis ardent igne libidinis;  
Coram loquentes blanda, fraudes  
Dissimulant animi nefandas.  
Neglecta virtus in tenebris latet;  
Solum triumphat flagitium mali,  
Gliscit quod omnes in catervas,  
Turbo strepens metuendus orbi.  
Tam saeva spirans vis nova turbinis  
Bacchatur ingens amplius in dies,  
Summas ut extemplo columnas  
Sternere funditus ipsa tentet.

*Caedes pavescit mox hominum genus:  
Aegrum rigescit robur in artibus;  
Atque ora tot permota noxis  
Praesidium cupiunt salutis.*

*Vocem latebris inclyta Veritas  
Edens, in hostes instruit agmina:  
Sternit scelesti signa coetus,  
Sublevat altius et triumphum.*

*Lex et supernis lapsa tonitribus  
Blandis revincit pectora nexibus:  
Cum mitior sit facta, demum  
Dat populis veneranda iura.*

*Quae iam tumebant fluctuoni maris  
Dirae procellae, nunc domitae tacent:  
Non saevit in fratres benignos  
Frater amore calens tenaci.*

*Tandem quieti redditia saecula  
Sanctae fatentur lumina Palladis.  
Iucunda pax donat perenni  
Munere progeniem futuram.*

I. SCOPA.

## SAPIENTUM PERVESTIGATIONES

A RADIOPHONICA VATICANA STATIONE  
LATINE VULGATAE

## NOTITIAE.

COMMEMORATIO TERCENTENARIA MERCURII  
TRANSITUS A GASSENDO INSPECTI.

Die 7 mens. Novemboris anno millesimo sexagesimo trigesimo primo, sicut Keplerus praedixerat, errans sidus Mercurius ante solis orbem transiit.

Hoc antea neglectum phaenomenon videre conati sunt nonnulli astronomi in Gallia, Italia atque Germania: sed, ob vagae eiusdem stellae exiguitatem, Mercurium non viderunt, vel non agnoverunt.

Pene solus eum vidit Parisiis Petrus Gassendi, Diniensis Ecclesiae praepositus, qui Mercurium sicut nigram maculam, exilem sed mobilem, in orbe Solis detexit.

Hanc primam Mercurii transitus observationem, post tria saecula celebrare decet.

## DE QUODAM SINGULARI OSCILLOGRAPHO.

Prof. Ragowski eiusque operis socii in urbe Aquisgrana singularem quemdam oscillographum cathodicum construxerunt, qui scripturam undarum vere nota dignam permittit.

Artificium quo usi sunt in hoc est, quod radii cathodici dupli subsunt concentrationi, primae nempe ante, alterae post diaphragma.

Ita fit ut radiorum penicillum in «schernum» phosphorescens, vel in laminam photographicam impingens, talis est intentionis, ut, quamvis frequentissimis oscillationibus deflectatur, visibile adhuc permaneat.

In quodam photographicō specimine appareat linea, quae a radiis descripta est cum velocitate sexaginta trium millium chilometrorum per secundum temporis, hoc est per velocitatem, quae quintam partem velocitatis lucis excedit.

## DE INTENSIVA CELLULA PHOTOELECTRICA.

Societas germanica A. E. G. eo pervenit, ut construeret cellulam photoelectricam, quae currentis vim praebet decies maiorem, quam aliae huc usque cognitae, et in qua congruentia inter currentis et lucis vim usque ad scintillationem permanet.

## DE STRATIS ATMOSPHERICIS.

Iuxta Prof. E. V. Appleton quae de stratis atmosphericis huc usque novimus ad haec reducuntur: duplex admittendus

stratus, quorum inferior, notus sub nomine *Kennelly-Heaviside*, variationibus subest tum diurnis tum annuis.

Vis ionizationis in meridie, sexies vel septies maior est quam quae in media nocte; et quae in meridie aestivo tempore, duplex vel triplex quam quae hiemali.

Instantibus perturbationibus magnetis, stratus inferior intensior fit.

Stratus superior magis abundat ioni- bus, et valde debiliores praebet vehemen- tiae fluctuationes.

## DE LACTIS SALUBRITATE.

Constantinus Gorini Lynceus, apud internationalem coetum in urbe Copenhagen habito, quasdam rationes proposuit, ut in comparando lacte salubritati consulatur.

In sessione plenaria propositiones eius probatae sunt et executioni commendatae: ut nempe tum instruendo, tum suadendo, tum etiam legibus coercendo ad hoc per- veniamus, ut in quavis lactis elaboratione, publicae securitatis praecepta serventur.

DENTES ELEPHANTINI IN COLLE CAPITOLINO  
REPERTI.

Ad Collem Capitolii in Urbe, in excavationibus recentissimis, e stratis fluvio- lacustribus eruti sunt dentes elephantini, qui iuxta Prof. Ioachim de Angelis d'Ossat Lynceum, tribuendi sunt speciei cognitae nomine «Elephantis antiqui»; quae spe- cies frequentior invenitur circa Romanum.

DE PROFUNDISSIMIS SPELUNCIS  
SUBTERRANEIS.

Speluncae subterraneae, quae ducentorum metrorum profundum excedant, numerantur in toto orbe ultra triginta.

Recentiores in Italia detectae sunt: *Tana dell'uomo selvatico* in monte Cor-

chia, *Grotta di Podlesche* apud Bainsizza, *Inghiottitoio di Slivia* ultra Tergesten, *Abisso di Cina Secca* apud Posthumiam, *Abisso di Revel* in Alpis Apuanis.

## DE FRONTE MADREPORICA AUSTRALIANA.

Doctor foemina Anna Hastings, ex sectione zoologica Musei Britannici, in disceptatione nuper edita, triginta sex species ascidiarum ex notissima fronte madreporica australiana descripsit, anatomicas praerogativas apte indicavit et figuris delineavit.

Studium hoc pertinet ad opus, quod Museum Britannicum, ad cognitionem illius singularis orbis plague, quae studiosorum curiositatem excitat, et excitabit, in lucem edendum curat.

ERIC WASMANN.

Eric Wasmann ortus est Merani die 29 Maii 1859, et anno 1875 ingressus est Societatem Iesu.

Quum a medicis, eo quod debilitate pectoris laborasset, coactus esset in lucis immorari, coepit, recreationis causa, in vitam inquirere cuiusdam coleotteri, *Rynchites betulae*.

Breviter studium profundius cognoscendi vitam et habitus in insectis apud ipsum ita crevit, ut totum in huiusmodi inquisitionibus se dederit.

Institutus praesertim in observandis formicis, thermitibus et eorum hospitibus, ita ut princeps dici potuerit inter mirmecologos.

Per quinquaginta annos assidue incubuit in observationes, in inquisitiones, in interpretationes, in leges statuendas; et ex iis, profundiora problemata biologicalium disciplinarum ingressus, multa edidit non tantum in «sistematis» sed et in «scien-

tificis» disquisitionibus, praesertim de origine specierum et de evolutione instinctuum, in quibus apte statuit quae cum catholica philosophia bene cohaerent.

Diem extremum obiit vigesimum septimum mens. Februario huius anni, locuples meritis tum apud Deum tum apud homines, quibus non tantum scripta omnis eruditio et inventorum plena, sed et exempla pietatis et religiosae vitae reliquit.

AUGUSTINUS GEMELLI.

HENRICUS SERENI.

Prima die mensis Martii huius anni improvisa morte correptus est Prof. Henricus Sereni, primum supra quadragesimum aetatis annum agens.

In Statione Zoologica Neapolitana toto animo se dedit inquisitionibus et experimentis de physiologia animali, ita ut brevi in ipsis magister evaserit.

Studuit praesertim phenomenonis anaphilaticis et eorum functionibus; nuper ex reactionibus anaphilaticis nitus est specierum distinctionem statuere, et inquisitiones initit de oxidasi et de processibus energeticis muscularibus quoad ciborem producendum.

In plura argumenta incubuit de physiologia in cephalopodis, et in «Memoria», quae nunc, post eius obitum, apparuit, permulta et nova tradidit de analysi physiologica nervorum systematis in animalibus.

ANTONIUS NEVIANI.

*Fides quod non vides; spes vana res; charitas in terra raritas.*

*Quae a puero discuntur, tenacius haerent.*  
*Qui in altum scandunt, lapsu graviore ruunt.*  
*Cornix cornici oculum non fodit.*

COLLOQUIA LATINA<sup>1</sup>

IV.

## Euntes ad ludum litterarium.

CYRUS, TULLIUS, TITUS, TERESULA,  
VETULA, OLUSCULARIA.

CYRUS. — Videturne tibi tempus eundi ad ludum?

TULLIUS. — Plane tempus est, ut eamus.

CYR. — Non satis teneo viam; credo esse in illo vico proximo.

TULL. — Quoties illuc itasti?

CYR. — Ter aut quater.

TULL. — Quando coepisti eo adire?

CYR. — Nudius tertius, ut puto, aut quartus.

TULL. — Quid igitur? An non id satis est ad noscendam viam?

CYR. — Non, etiam si eam centies.

TULL. — Ego vero vel si semel, nunquam deinceps aberrarem. Sed tu vadis invitus, et ambulas lusitanus, nec viam aspicis, nec domos, nec ulla signa, quae te postea admoneant, qua sit flectendum, quae via tenenda. Ego haec omnia observo diligenter, quia lubens eo.

CYR. — Puer hic habitat in proximo scholae. — Heus tu, puer, qua itur ad aedes tuas?

TITUS. — Quid vis? Venis a matre tua? Mater mea non est domi, ac ne soror quidem: ambae sunt profectae ad Sanctae Annae.

CYR. — Quid illic agitur?

TIT. — Heri fuerunt encaenia; hodie invitavit eas mulier quaedam casearia ad edendum lac coagulatum.

CYR. — Et tu, cur non es una profectus?

TIT. — Relictus sum hic ut servem dominum. Frater meus puerulus adductus est ab eis illuc; sed pollicitae sunt mihi, se de reliquis allaturas partes in quasillo.

CYR. — Quin tu igitur manes domi?

TIT. — Continuo revertar: nunc prodeo lusum talis: cum filio huius cerdonis. Vultis et vos venire?

<sup>1</sup> Ex colloquiis IOANNIS LUDOVICI VIVES. — Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit I. F.

CYR. - Eamus, sodes.  
TULL. - Minime vero id quidem.  
CYR. - Parumper, amabo.  
TULL. - Tu ludito, si vis; ego ibo solus.  
CYR. - Ne me apud praecceptorem deferas; dic, me detineri domi a patre.  
TULL. - Vis mentiri me?  
CYR. - Quidni propter sodalem?  
TULL. - Nunquam licet proloqui mendacium... At non vides? Puer elapsus est nobis; nec rogavimus qua esset via ad ludum.  
CYR. - Abeat in malam rem. Percunctabimur ab hac vetula. — Mamma, nos tine qua itur ad scholam Varronis?

VETULA. - Iuxta eam scholam habitavi ego sex annos. Transite plateam hanc; inde est angiportus; tum platea altera; hinc flectit ad dexteram, tum ad sinistram; ibi percunctamini: non procul abest schola.

CYR. - Vah! non poterimus omnia retinere.

VET. - Manete paullisper. Teresula, deduc istos ad ludum Varronis: nam mater eius est, quae dabat nobis linum pectendum et nendum.

TERESULA. - Quid malum Varronis? Quid hominis est hic Varro? Quasi ex matris mandatis ego eum norim... Loquerisne de illo, qui result calceos iuxta Cauponam Viridem, an de praecone in Vico Gigantis, qui alit equos meritorios?

VET. - Sat scio: nunquam tu nosti ea quae sunt opus, sed ea quae ad rem nihil faciunt, inertissima. Varro est Iudimagister ille senex, procerus, lusciosus, e conspectu aedium, quas olim habitavimus.

TER. - Ah! iam redit in memoriam.

VET. - In reditu, transi per macellum et eme acetarium, et raphanum, et cerasa: cape fiscellam.

CYR. - Duc nos etiam per forum olitorium.

TER. - Hac ibitis brevius.

CYR. - Nolumus isthac ire:

TER. - Qui sic?

CYR. - Quia momordit me illic canis ex domo pistoris; quin et volumus te comitari ad forum.

TER. - Revertens faciam iter per macellum; nam procul adhuc absumus, et emam quae sum iussa postquam reliquero vos in ludo.

CYR. - Nos eupimus videre quanti emas cerasa.

TER. - Nummis senis hodie veneunt in libras singulas; sed quid ad te?

CYR. - Quia soror iussit me hodie mane sciscitari, et est illic mulier quaedam oluscularia, de qua, si emeris, scio eam et vendituram minoris quam alias, et daturam nobis cerasa aliqua, vel thyrsum lactucae. Nam filia eius ministravit aliquando matri et sorori meae.

TER. - Ne dispendium hoc viae constet vobis obiurgatione!

CYR. - Minime vero; nam satis venie mus temporis.

TER. - Eamus; tantulum deambulavero, quae misera consumor sedendo domi totos dies.

TULL. - Quid facis? An tantum sedes otiosa?

TER. - Otiosane? Minime certe id quidem: neo, conglubo, glomero, texo. Putas vetulam nostram passuram ut otier?... Sed ventum est in forum olitorium. Ubinam est tandem mulier vestra?

CYR. - Id ego circumspiciebam... Sed eme ab hac ea lege, ut aliquid det nobis corollarii. — Heus! amita: puella haec emet de te cerasa, si aliquot nobis donaveris.

OLUSCULARIA. - Nil mihi donatur; omnia venduntur.

CYR. - Nec sordes istae donatae tibi sunt, quas habes in manibus?

OLUSC. - Nisi procul hinc abiturus sis, impudentiuncule, has sordes sentient genae tuae.

CYR. - Quomodo sentient meae genae, quum habeas in tuis manibus?

OLUSC. -- Redde cerasa, furuncule.

CYR. - Sumo exemplum; nam volo emere.


OLUSC. - Eme igitur.

CYR. - Si placuerint, quanti?

OLUSC. - Nummo libram.

CYR. - Ah! acerba sunt. Tu, anus nefica, vendis huc populo cerasa strangulatoria.

TER. - Abeamus hinc ad ludum; nam vos argutiis vestris intricaretis me, et detineretis diu. Iam, ut puto, mea vetula surit domi ob moram meam. — Hoc est ostium. Pulsate.



## AD SANITATEM TUENDAM

**Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta.<sup>1</sup>**

§ 430. - In emiplecticis BAGLIVUS solebat venam secare in ipso brachio paralytico.

§ 431. - In plerisque tertiani sunt cardiomqi, vomitiones subvirides. Tales cardiomqi, anxietates, iactationes oriuntur a refluente bile et os ventriculi seriente. Talibus evacuationibus plurimum vires deiectae videntur; sed id fit ob morsum bilis, et purgatione restaurantur.

§ 432. - Quo plus nutritur corpus, eo laeditur magis; quum tamen biliosis, imo et catarrhosis (iis quibus et impunitas est, et excessus humoris) inediae malum potius augent; nam inanis ventriculus, et exhaustus satiat se impuris humoribus; bilis ferventior redditur: con-

tra, acer acutusque humor benignitate alimenti mitigatur. Sic in pestilentia statu accidisse narrat GALENUS, omnes ferme peste perculbos minime cibos fastidientes evasisse *ἀποστοτού*.

§ 433. - Bilis flavae et atrae circa iecur perfusio atrophiae causa saepius est. Vix enim vera atrophia observatur, in qua viscera praeter intemperiem non multa quoque biliosorum humorum colluvie scatterent, ac eorum copia distenderentur. Et quem haec causa naturalem spiritum et calorem proferat, vix laudabilis sanguis gigni potest.

§ 434. - Quidam pueris cacheeticis, in quibus et sitis incredibilis, et *ἀποστοτια*, usum aquarum naturalium potu sumptuarum consulunt. Quae opinio suis destituta non est patrociniis. Ceterum in eo statu constituti pueri laborant saepe fluxu alvi chiloso, ut et ii, quibus venae meseraicae sunt obstructae, vel hepar imbecillum. Diligenter hi purgandi sunt.

§ 435. - BALLONIUS ait: Nos in malignis morbis et temporum constitutionibus vidi mus excretiones fere ab initio morborum factas ad bonum apparuisse; et, ut aiunt optimi medendi magistri, qualis sit excretion, et quovis tempore iuvat tamen. Quod notari debet, ne temere de morbis iudicium sententiamque feramus.

§ 436. - In magnis vomitionibus cylsternus usus frequens, et boli ex rheo valent. Nam potionis facile excluduntur.

§ 437. - In fractis iam morbo longo, saepe haemorrhagiae symptomaticae appa ruerunt. Putant hae una exclusione allevari aegros. Maxime vero istae haemorrhagiae contingunt pulmonicis et hepaticis. Quod maxime est notandum de pulmonicis: et has haemorrhagias bonum est sistere.

(Ad proximum numerum).

## ANNALES

### Nationum Societas atque discrimen inter Iaponiam et Sinas.

Die XVI mens. Novembbris Lutetiae Parisiorum legati civitatum in Nationum Societate foederatarum, quibus et Americanus legatus accessit, praesto fuere ut discrimen inter Iaponiam et Sinas de Mandchouria exortum, suo examini subiicerent. Briandus, Gallorum ad exteris res minister, conventus praeses, in adiutali sermone sperari posse declaravit de discriminis compositione, quod tum a Iaponia cum a Sinis requisitae a Nationum Societate in re notitiae ultro semper fuerint traditae: id profecto ostendit utriusque partis fidem in ipsis Societatis opera. Adde septentrionalis Americae legati interventum, cum compositionis propositionibus, iam eorum, qui hinc Iaponiorum inde Sinarum gubernaculo assident, attentioni subiectis.

Post varias et publicas et secretas sessiones, concertationes, proposita (non semper vero servata) ab ulterioribus conflictationibus pro tempore utrinque abstinendi, visae sunt ambae litigiosae partes hoc accessisse, ut Societatis Nationis delegatio in Mandchouriam mittatur ad inquirendum quomodo res sese revera habeant, atque animadversiones suas Societati referant, quae inde tutum iudicium ferre valeat, servata interim neutra regione ad Cian-cian urbis septentriones.

### Foedus inter Gallos et Germanos.

Foedus inter Gallos et Germanos de commerciis feliciter sanctum est: Gallia connexionem recognovit inter bellicas refectiones et commercialia debita; quamquam illis primus locus tribuendus sit; assensa

est ut Germani ab « internationalium legum Mënsa » requirat consilioi collegii convocationem e Youngicis pactionibus praevisam, a quo Germanici aerarii solvendi facultas examinetur, providentiaeque opportunaë, non vero decretoriae, proferantur.

### Administratorum itinera et colloquia.

Post Laval, Galli administratorum consiliis Praefectum, Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Praesidem adiuit Grandius, exterarum rerum Italicus minister, ubique, ab Italii praesertim, qui frequentes illas regiones incolunt, festive exceptus. Nunciatum est ex apertis comibusque colloquiis cum Hoover ipso, cum Stimson, a Secretis Status, alisque in rebus publicis praestantibus viris, habitis, funditus pertractata esse magni ponderis argumenta, ut hodiernum aeriariorum discrimen, a quo omnes populi premuntur; mutua civitatum debita; armorum prescriptionem et circumscriptiōnem; necessariam internationalium collyborum firmatatem, aliasque oeconomicas quaestiones, de quibus omnibus animorum consensionem collectam esse. Ita Superi fortunent!

POPULICOLA.

## VARIA

### Pugna Ravennensis (a. MDXII).

Non multo post Iulii et Ferdinandi regis Hispaniae, et Aloisi Galliae regis exercitus propinquiores facti, quum se dies aliquot munitis castris tenuissent, Galli ad Ravennam oppugnandam se contulerunt.

<sup>1</sup> EX PETRI BEMBI *Historia Veneta*, lib. XII.

Erat in ea Marcus Antonius Columna Iulii nomine cum milibus mille quingentis, equitibus trecentis, seque forti ac praestanti animo defendebat, et cladem hostibus ex muro inferebat; Neapolitanus autem Prorex oppido veritus, ut Gallos ex eo ayerteret, non longe ab eorum copiis suas copias adduxit. Galli, relicta oppugnatione, se ad pugnam celeriter comparaverunt: itaque eo ipso die mane, qui fuit dies per celebris, ad diem tertium Iduum Aprilium, uterque exercitus animo aequo magno ac parato ad dimicandum inter se conflixerunt. Pugnatum est horis plus sex incredibili virtute: qua in pugna militum et equitum millia supra decem et octo interfecta sunt, pari fere utrorumque numero, fortuna dispari. Iulii enim et Hispanorum copiae fusae fugataeque sunt; Galli locum tenuerunt. Captivi ab Gallis facti Fabricius Columna, eiusque gener Alfonso Avalu Aterni dominus, Petrus Navarus Cantaber, et Ioannes Mediceus, Cardinalis Iulii legatus, aliique clari viri non pauci, et signa complura ablata, et tormenta capta.

Eo in certamine Alfonsi Ferrarensium ducis, cum tormentis exercendis tum acie sua e transverso in hostem ducenda virtus egregia, victoriae magna ex parte conficiens fuit. Dux Gallorum Gasto Foius, quem se in militum Hispanorum globum, qui supererat, audacissime intulisset, caesus ab illis una cum pluribus clari nominis ducibus cum suo exercitu, diem lugubrem magis, quam laetum, aut ulla gratulatione celebrari dignum reddidit. Postero die Galli, conditione adhibita, ut Columnae suis cum copiis Ravenna exeundi potestas fieret, neque oppidanis noceretur, oppido potiti sunt; quod quidem intromissi, conditione non servata, foede crudeliterque diripuerunt; arcem autem oppidi capere non potuerunt, iis, qui in ea erant, fidem Iulio velle se praestare dictitantibus.

### Pro iudicibus mensarum elegantibus.

ESCARUM ORDO:

Pileoli Bononienses.  
Gallus indicus elixus, cum cucurbitulis.

Insicia in placentulis ex solanis.  
Turdi veru assi, crustis interpositis.  
Acetaria.  
Panis Natalicus Mediolanensis.  
Gelida ex lacte amygdalino.

### Locosa.

Tuccius in schola.

MAGISTER: — Locus igitur, quem nunquam desertum, est ampla planities arenosa, ubi nec arbores, imo ne herbae quidem crescunt. Heus tu, Tucci, vales ne nobis afferre exemplum loci huius generis?

Tuccius, brevi cogitat, ac deinde: — Avunculi mei caput!

Tuccius amico: — Ecur ad me absenter nunquam litteras misisti?

— Quia abiens tu minime declaraveras ubi habitaturus es.

— Eo magis ad me scribere debebas; ut scilicet id a me repeteres!

### Aenigmata.

I.

Multiplicare voto. Mihi litterulam adde: patrentem Thysigeri Bacchi cernere fas tibi erit.

II.

Dixit Aristoteles: « Logicae sit regula principes:

— — — o O o ».

Aenigmata in superiore numero propria his respondent: 1) Ara, Abi, A = Arabia;  
2) Petasus-Petaso.

**DE ROBERTI SCOTTI**  
NAVARCHI ANGLI, ITINERE ANTARCTICO

[2]

Trium tum nationum investigatores in illas partes solverunt: Americanorum, Joanne Wilkesio duce; Gallorum, duce Julio Sebastiano Dumont D'Urville; Anglorum, duce Iacobo Rosso. Duo priores invenerunt terras non spernendas contra littora Americae et Australiae positas, sed conatum illorum palmam tulit Rossus.<sup>1</sup> Qui, quum solvisset Neoselandia, ad eum locum delatus est, qui, ut videatur, unus singulis annis accessum dat navibus polum versus usque ad gradum latitudinis octuagesimum. Is locus *mare Rossium* est.<sup>2</sup> Rossus invenit peralta littora terrae Victoriae, vidit ad gradum septuagesimum Erebum et Terrorem, montes Vulcanios, ex quibus Erebus quingentis metris altior Aetna (cuius al-  
titude est metrum trium millium et du-  
centorum septuaginta novem), etiamnunc ignem evomit; magnam illam agnovit glaciata tabulam, rem ei regioni propriam, cuius margo, in metra quinquaginta et amplius abrupta, in centena chilometra orientem versus ducitur, quae ex illis temporibus Anglice *barrier* nominari consuevit, Gallice *glace de barrière*.<sup>3</sup> Hanc molem Rossus praeternavigans, gra-

dum meridiana latitudinis attigit septuagesimum octavum cum puncto decimo, quam latitudinem paucis punctis anno 1900 superavit Borchgrevinkius.<sup>4</sup> Itaque is non modo, quantum nulli ante contigerat, progressus est, verum etiam magnopere auxit hominum de mundo illo antarctico scientiam et viam fecit, qua hodie ipsum polum perventum est.

Nam tertium tempus illarum explorationum initium habuit anno 1899, quo quum praestantissimi complurium nationum geographi Berolinum congregati essent, Ferdinandus Richthofen, qui ei coetui praeverat, hortatus est ad communem aliquam earum nationum per vestigationem antarctidis, cuius ipse describat rationem, viam, propositum.

(Ad proximum numerum).

A. HABERL.

tum »; quam vocem natura proxime ad significandam barrière accedere putabam; postremo occurrit « vastissima illa glacie crusta », et « congelatum Rossi aequor ». Tu igitur si felicore ingenio meliora videris, quin proferes postea in publicum per epistolarium, h.e. per thecam epistolarem *Almae Romae*? Hanc molem Rossus praeternavigans, gra-

<sup>1</sup> James Clark Ross, natus anno 1800 Londini, admodum puer ad maritimam quum accessisset et anno 1822 tribunus factus esset, Parrium arcticum polum quae- rentem sequutus est. Quibus in itineribus anno 1832 polum magneticum invenit. Mortuus est anno 1862.

<sup>2</sup> Intelliges sane haec te maiore lecturum esse cum fructu oblectationis, si quam illarum regionum ante te posueris tabulam.

<sup>3</sup> Aliquamdiu deliberavi, quid latine dicerem illam *barrière*, nequedum quidquam effodi. Occurre- runt: « immene dorsum glaciei, vel glaciatum », « trac- tus », « vallum », « agger », « obstructio », « obiectamen-

IMPRIMATUR: Fr. A. ZAMPINI, Ep. Porphyreonen.,  
Vic. Gen. Civitatis Vaticanae.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, Moderator, Sponsor.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

[2]

**INDEX RERUM VOL. XVIII**

(AN. XVIII — FASC. I-XII)

	PAG.		PAG.
<b>Alloquia sociis et lectoribus.</b> 1, 95, 126, 176, 181	53	<b>Culex et Apes.</b>	53
<b>Annales.</b> 16, 34, 51, 70, 87, 105, 124, 141, 160,	70	<b>Turdus et Hirundo.</b>	70
	178, 194	<b>Avarus</b>	89
		<b>Canes</b>	106
		<b>Mulus et Lupus</b>	125
		<b>Olla natans</b>	143
		<b>Piscatores</b>	162
		<b>Arbores grandes et pusilla</b>	179
<b>Apologetica.</b>		<b>Historica.</b>	
De fructibus per S. Augustinum ab Ecclesia perceptis ex eius contentionibus cum haereticis ( <i>A. Bacic</i> )	20	Quinam et unde Magi? (*). . . . .	7
<b>Archaeologica.</b>		Terrae motus Venetiis an. MDXI ( <i>P. Bembo</i> )	35
De conviviis funebribus ( <i>S. S.</i> ) . . . . .	163, 184	De Iaponiorum dls ( <i>X</i> )	41
<b>Ars.</b>		Carolus VIII Florentiam ingreditur ( <i>P. Bembo</i> )	52
De Hebraeorum arte ( <i>G. P.</i> ) . . . . .	10	Roma centrum orbis catholici tribus pri- mis saeculis ( <i>A. Bacic</i> )	56, 77, 94
In hodiernam artem animadversiones ( <i>I. A.</i> )	127	De Gulielmo Massaia ( <i>P. F. ab Avillana</i> )	62,
<b>Carmina.</b>			83, 115, 151
In Patrem Purpuratum Basilium Pompili, sacro Iubilari Sacerdotali anno peracto ( <i>N. Capo</i> )	3	Dantes ad Corvi coenobium ( <i>Fr. Hilarius</i> )	70
In annum MCMXXXI vota ( <i>A. Bartoli</i> )	17	Demimoquinto exeunte saeculo a Concilio oecumenico Ephesino I ( <i>X</i> )	91
Pio XI P. M. eiusdem in Petri sedem assumptionis anniversaria recurrente die ( <i>I. Fratini</i> )	19	Causae, ob quas Carolus VIII, Gallorum rex, in Itatiā venerit ( <i>P. Bembo</i> )	124
In Querulum ( <i>T. Garrido</i> )	26	Ludovicus XII, Gallorum rex, bellum Ve- netis indicit ( <i>P. Bembo</i> )	142
Gulielmo Marconio, radiophonicae Vatl- canae officinae artifici ( <i>I. Rinaldini</i> )	37	Americae inventio ( <i>P. Bembo</i> )	161
Nazarenus ( <i>S. Alessandrini</i> )	43	Ioseph Sanchez del Rio ( <i>I. Navarro</i> )	167
Christo resurgentis ( <i>V. Polydori</i> )	64	Iulius II P. M. Mirandulam praesens ag- greditur ( <i>P. Bembo</i> )	178
B. Ioanni Bosco, Salesianorum Societatis Institutori, anno eius festo recurrente ( <i>I. Cacace</i> )	65	De Roberti Scotti, navarchi Angli, itinere antarctico ( <i>A. Haberl</i> )	180, 196
Minimae voces (Mater - Quies) ( <i>V. Poly- dori</i> )	82	Pugna Ravennensis an. MDXII ( <i>P. Bembo</i> )	194
Ultima nox ( <i>I. Morabito</i> )	99	<b>Liber a pittaciis responsa</b>	126
Ludio praetereentes invitans ut lignoelas pupas spectent ( <i>H. N.</i> )	117	<b>Libri dono accepti</b>	36, 67
Ad importunum ( <i>F. X. B.</i> )	117	<b>Librorum recensio</b>	36, 107, 126, 143
Iris ( <i>I. Scopa</i> )	132	<b>Litterae et Philologia.</b>	
Christo Regi triumphanti ( <i>H. N.</i> )	150	De latini sermonis elegancia ( <i>J. Iss.</i> ):	
Roberto Bellarmino Romanae Ecclesiae Do- ctori renuntiatio ( <i>I. Rinaldini</i> )	172	De nominibus substantiis eleganter usur- pandis	4, 23
Agitant saecula cursum ( <i>I. Scopa</i> )	188	De nominibus adiectivis eleganter omit- tendis	38
<b>Colloquia latina.</b>		De nominibus adiectivis eleganter ad- dendis	39
Dialogi familiares Antonii Van Torre. (Pas- sim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i> ):		De nominibus substantiis eleganter con- vertendis	59, 79, 96
Amicus peregre reversus . . . . .	42	De nominibus adiectivis eleganter usur- pandis	112
Invitatio ad convivium.	66	De pronominibus eleganter omittendis	128
<i>i. L. Vives</i> colloquia. (Passim retractavit hodiernisque moribus aptavit <i>I. F.</i> ):		De pronominibus eleganter addendis	147
I. - Surrectio matutina . . . . .	136	De pronominibus eleganter convertendis	166
II. - Prima salutatio . . . . .	172		182
III. - Deductio ad ludum . . . . .	191	Maria Konopnicka, Polonorum poëtria ( <i>P. d. V.</i> )	24
IV. - Euntes ad ludum litterarium . . . . .	191	De Iulio Firmico Materno ( <i>A. Aureli</i> )	40
<b>Communia vitae</b>	153	De certamine poëticō Hoeufftiano anni MCMXXXI	98
<b>Epistolare sociorum commercium</b>	173	Novum certamen poëticum inter Italos in- dictum	98
<b>Fabulae.</b>		Certamen poëticum latinum Locris in Brut- tiis a Carmelo Triumviri constitutum	116
Vas aeneum et vas fictile . . . . .	35	De eloquentia apologetica ( <i>S.</i> )	145
Accipitrum pax . . . . .	53		



PAG.	PAG.
<b>Medicae notae.</b>	
Ad sanitatem tuendam: Aphorismi sive praecpta medendi generalia ex pluribus casibus particularibus abstracta, ex variis auctoribus collecta ( <i>I. Farn.</i> ) 11, 44, 67, 85, 101, 177, 193	
<b>Necrologia.</b>	
P. Ambrosius Bacic, O. P. ( <i>I. F.</i> ) . . . . .	55
Carolus Bricarelli ( <i>I. de Casamichela</i> ) . . . . .	118
Cfr. etiam <b>Sapientium per vestigationes</b> ( <i>Notitiae</i> ). . . . .	
<b>Oeconomicae et Sociales quaestiones.</b>	
Quadragesimo anno exeunte a Leoniana encyclica epistola de conditione opificum . . . . .	73
Cfr. etiam <b>Roma sacra</b> .	
<b>Roma sacra.</b>	
SS. D. N. Pii PP. XI litterae encyclicae de Matrimonio christiano . . . . .	11, 29, 47
Supremae S. Congregationis S. Officii decreta de « educatione sexuali » et de « eugenica », et de quorundam scriptorum libris . . . . .	69
SS. D. N. Pii PP. XI litterae encyclicae de ordine sociali instaurando et ad Evangeliae Legis normam perficiendo, in annum XL post editas Leonis XIII litteras encyclicas « Rerum novarum » 101, 119, 137	
Ex Suprema Congregatione S. Officii . . . . .	140
SS. D. N. Pii PP. XI epistola encyclica de asperrimo rei oeconomiae discrimine, de laméntabili apud multos operum vaccinatione deque increscenti apparatus militaris studio . . . . .	158
<b>Sapientum per vestigationes a radio-phonica Vaticana statione latine vulgatae</b> . . . . .	109
<b>NOTAE:</b>	
De Michaelae Faraday, Sodali Lynceo, centesimo recurrente anno a praecipuis eius inventis ( <i>A. Lombardi</i> ) . . . . .	109
De propagatione undarum, quae a Radio-Vaticana statione emittuntur ( <i>I. Gianfranceschi</i> ) . . . . .	
De constantia velocitatis lucis ( <i>I. Gianfranceschi</i> ) . . . . .	
Desymbiosis physiologica hereditaria ( <i>H. Pierantoni</i> ) . . . . .	
De distributione nebularum in universo, de que hypothesi expansionis ( <i>I. Stein</i> ) . . . . .	
De refractione et reflexione in « relativitate generali » ( <i>T. Levi Civita</i> ) . . . . .	
De vorticula doctrina ( <i>A. Masotti</i> ) . . . . .	
De unitibus in mensuris magneticis ( <i>A. Lombardi</i> ) . . . . .	
De doctrina circa metamorphoseon plantarum ( <i>A. Neviani</i> ) . . . . .	
De quadam Adriatici maris natura ( <i>V. Zanon</i> ) . . . . .	
De opere P. Grimaldi S. I. ( <i>I. Vanni</i> ) . . . . .	
De fluxu hydrogenii in metallis ( <i>T. Franchini</i> ) . . . . .	
De quadam singulari metheora ( <i>I. Gianfranceschi</i> ) . . . . .	174
	174
<b>Scenicae fabulae.</b>	
Ad sepulcrum, - Actio dramatica <i>I. B. Francesco versibus senariis conscripta</i> . . . . .	54, 72, 90
<b>Sententiae</b> , 22, 28, 52, 85, 107, 115, 137, 142, 152, 190	
<b>Vacui temporis hora.</b>	
Pro iudicibus mensarum elegantibus, escarum ordines ( <i>I. F.</i> ) : 18, 35, 53, 106, 125, 143, 195	
locosa ( <i>I. F.</i> ) 18, 35, 53, 71, 89, 107, 125, 143, 162, 179, 195	
Aenigmata 18, 35, 53, 71, 89, 107, 143, 162, 179, 195	
<b>Varia.</b>	
« Scopeti » usus apud Venetos in vectus ( <i>P. Bembo</i> ) . . . . .	18
De pilari Rumenorum ludo, cui nomen « Oina » ( <i>R.</i> ) . . . . .	27
De adamante ( <i>A. C.</i> ) . . . . .	63
De gemmis artificio partis ( <i>A. C.</i> ) . . . . .	84
Quinam « tumultuarii » milites appellati fuerint ( <i>P. Bembo</i> ) . . . . .	88
Laboris nostri socius singulare praemio ornatus . . . . .	108
De floribus Alpinis ( <i>P. Carinthiacus</i> ) . . . . .	135
De sannionibus ( <i>I. A.</i> ) . . . . .	186

O MAR. 40